



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Opvs De Ivdiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos & Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

8. Christi dolore, quomodo sint cum ægroti doloribus comparandi?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45701**

ginta duæ dicantur sacrum illud caput sauciasse? Denique cogitari satis non potest, quot, inter crucis baiulationem, & in ipso Calvariae monte, dum vestes vulneribus agglutinatae reuelerentur, dum manus pedesque clavis perfoderentur, dum crux in altum tolleretur, & totum corporis pondus è suis plagiis penderet, sustinuerit cruciatus.

## VIII.

Psal. 128. 3.

Quanti autem, quamque immensi fuerint isti dolores, quām magnum in corona spinea, in flagellis *supra dorsum illius fabricantium*, in trunco crucis gestando, in ipso corpore pendulo pondus, vel licet inde estimare: quod in monte Oliueti sola horum tormentorum imaginatio ita grauis fuerit, ut sanguineum ex illo sudorem expresserit. Hæc talia ut cogitent ægroti, monet

Hebr. 12. 3.

Apostolus illis verbis: *Recogitate eum, qui talem sustinuit à peccatoribus aduersus semetipsum contradictionem: ut nefatigemini animu vestris deficientes.* Non enim putabitis nimium esse, quod sentitis, si Dominum vestrum, si amorem vestrum infinitis partibus plus sustinuisse cogitabis. Quis enim seruus queratur de onere sibi imposito, si videat se minimam partem ferre ponderis Domino suo injecti? Quis animum non sumat ad molestias suas perferendas, si eas velit cum amore suo crucifixo comparare? Credibile est ergo, Lessium, cùm ea verba parieti inscripta legere: *AMOR MEVS CRVCIFIXVS EST*, ita secum cogitasse. Amor meus, Dominus meus, Deus meus in cruce pendet, ego in lecto jaceo: Amor meus sanguine amissio sitiens, fel & acetum, & vinum myrratum bibit, ego vinum habeo & syrups dulces. Et quid

Psal. 68. 22.

querar de pharmacorum amaritie? amor meus ait: *in siti mea potauerunt me aceto.* Quid querar de tot cauterijs, de vena secta? quo venæ ruptæ sunt Christo amori meo? quanta ille in manibus pedibusque habuit cauteria, non sui, sed mei causa? Quid querar de capitis dolore? video spineam Christi coronam. quid querar de cordis angustia, de animi anxietate? video in amabili Christe meo agoniam, tedium, paurem, sudorem sanguineum usque ad terram defluentem. Quid querar, quod me decubentem pauci inuisant, aut nimis mulri? cùm Christus amor meus in cruce dicat: *Sustinui, qui simul contristaretur, & non fuit: & qui consolaretur, & non inueni.* Affuit quidem Mater, affuit Magdalena,

Psal. 68. 21.

dalena, affuit Ioannes Apostolus Christo in cruce patienti, sed hi amici eius non consolati sunt eum, potius dolores eius tristitia sua auferunt. Me tamen, quicunque inuisant, conantur consolari. Et pro quo ego patior? pro me ipso, pro meis meritis & peccatis. At Christus non pro suis, sed pro meis delictis passus est, ut mihi olim aliquid passuro robur viresque mereretur. Ita non suos tunc tantum dolores, sed etiam meos sensit. O amor, quid superest, nisi ut ego iam in hoc morbo constitutus, te CRUCIFIXVM aspiciam, & tuos vicissim dolores persentiscam, & meis coniungam, meosque in gratiarum actionem, tuis superaddam. atque ita tecum in gloriam meam & tuam intrem? Hæc talia ægrotus potest considerare in aspectu CRUCIFIXI, & credibile est, ut dixi, Lessium cogitasse, quando in cubiculi sui pariete, hanc epigraphen fixerat: AMOR MEVS CRUCIFIXVS EST. Sed vtile fuerit, ad patientiam descendam, audire, quæ in vita eius habentur. Est enim patientiæ exercenda occasio decima quarta cauſſa morborum humanorum.

### C A P V T      X X X .

*Decima quarta morborum cauſſa, patientiæ occasio, quæ miro Leonardi Lessij exemplo illustratur.*

**D**E morbis maximè videmus homines ex impatientia queri: vel, si in verba blasphemie palam erumpere nō audent, saltem bullit animus eorum in tacitas querelarum cogitationes: quasi Deus sit immitior, dum varijs corpus astuare doloribus permittit, quos arcere potuisset. Atqui quām multi sunt, qui vinolentia alijsque intemperantijs vel validas vires præcipitant, & corpus alioqui sanum ægrotare cogunt? Quām multi, quibus morbus est via ad virtutem, ad coronam, ad DEVUM? Numquam Leprosus ad Christum venisset, si ad eum non venisset Matth. 8 2. Lepra: numquam Dominum adorasset, nisi eum scabies cruciasset. Nimirum nemo pluris estimat Medicum, quām qui sentit se indigere medicina. Exemplum recens narro, è vita Leonardi Lessij, ut me, meosque fratres domestica virtute erudiam. Hæc

Qq. 2

enim

I.